UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cavssa Helvetica Orthodoxae Fidei

Murner, Thomas

Lucernae, 1528

VD16 M 7034

Vlrichvs Stvder.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29525

Visual Library

difficile nobis eſt ad intelligendum, dicit ſe aliter neſcire quã ut ſequentia Pauli uerba, iſta uerba exponant, Hoc eſt corpus meum. Dico non, & dominus Vlrichus ſi his diebus præſens fuiſſet, a ſuo in Chriſto fratre doctore Oecolampadio, didiciſſet hæc Chriſti uerba, hoc facite in meam commemorationem, hic per ſanctum Paulum exponi, quomodo memorari debeat, & nuntiari mors domini, breuitatis tamen cauſſa me remitto ad uerba notariorum.

VLRICHVS STVDER.

GRatioſi & dilecti domini, ad hæc dicta me reſoluo reſpõſionis datæ, me accepturum de hoc uenerabili ſacramento, quicquid decernetur, & per uerbum Dei declarabitur, cum illo permanſurus, iuxta tenorem mandati meorum ſubditorũ, quod eſt nihil aliud docere & proponere, quam clarum Dei uerbum, per amiſſionem præbendæ meæ.

D. ECKIVS.

Verbum Dei nemo eſt qui illud domino Vlricho interdicat, illud autem ſi male peruerteret, & in peruerſo intellectu ſubditis ſuis prædicaret, non ſolum amitteret præbẽdam, ſed & animam ſuam, perditurus quoq; ſeipſum & cæteros. Ideoq; & eum rogo propter Deum, quum non ſit ſublimioris intellectus, ne ſe a catholicæ & Chriſtianæ fidei unione ſegreget, credatq; id quod credidere priores ſui probi & honeſti homines, terræ & cantonis Glarijs, quo una cum ſuis ſubditis uitam æternam promerebitur.